GILBERTUS UNIVERSALIS. BERNARDUS CLARAEVALLENSIS. PETRUS PICTOR. MIRABILIA URBIS ROMAE

Mitte 12. Jh. Seite 27r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36551
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



ceteras uirtutes potest sine quibus saluari non potest. Cum de iudea prophe
tiam et doctrinam et miraculorum signa abstulit dominus menia eius
precipitauit. Quando uero fidei spem et karitatem auferri permisit
munitiones destruxit. In his uero rectus ordo seruatur quia cum
peccatrix anima relinquitur prius ab ea uirtutum dona que
data sunt ad manifestationem spiritus auferuntur deinde fidei spei
et karitatis fundamenta auferuntur. Hec omnia per fidis iudeis
dominus abstulit et gentibus contulit. Unde auferetur a uobis regnum
dei et dabitur genti facienti fructus eius. Sed cum his anima spoliatur
fit ei dominus sicut iudeis inimicus et qui dicebat inimicus ero inimi
cis tuis et affligentes te affligam ipse inimicatur et affligit.
Unde repletur in ea humiliatus et humiliata i. sensus et
cogitatio inmunda ut intus foris ue contumeliis agatur do
nec confusa ad penitentiam reuertatur. Color. Factus est dominus ini
micis uelut inimicus i. non uere precipitauit israel qui sunt ecclesie orna
menta uel dona sine quibus non potest esse saluus dissipauit munici
ones eius i. defensores ecclesie uel dona spiritus in quibus est salus
et repleuit in f. iuda humiliatum et h. idem multiplicauit
in utroque sexu. Vau. Et dissipauit quasi ortum tentorium suum
demolitus est tabernaculum suum obliuioni tradidit dominus in sy
on festiuitates et sabbatum et in obprobrium et indignationem
furoris sui regem et sacerdotem. Pascasius hystorice.
Et dissipauit et c. Notandum quanta uerborum elegan
tia quanto carminis splendore hebraica ueritas fulge
bat que translata tanta pollet elegantia. Postquam enim dixit
quomodo obtexit dominus caligine in furore suo et c. sic per singula
gradatim defluit ut quomodo possit omnibus coaptari sicut quomodo
proiecit quomodo precipitauit quomodo destruxit deiecit polluit et c.
Sic ergo plangit simul et dolet omnia ut stupore admira
tione gemitu plena sint singula ut sic dicatur. Quomodo
dissipauit quasi ortum et c. Sciendum autem quia propter peccatis iu